nostra rapiuntur more fluminum. Quicquid vides currit cum tempore; nichil ex his que vide-
mus manet. Ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum. Et ideo admiror deliciam
nostram quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque ne quando moriamur, cum omne De morte
momentum mors prioris habitus sit. Vis tu non timere ne semel fiat quod cotidie fit?
De homine dixi, fluvida materia et caduca et omnibus obnoxia causis. Mundus quoque, eterna res
et invicta, mutatur, nec idem manet. Quamvis enim omnia in se habeat que habuit, aliter tamen habet quam
habuit; ordinem mutat. Quid ex istis extraham quod cupiditates meas comprimat? Omnia ista ima-
ginaria sunt et ad tempus aliquam faciem ferunt; nichil horum stabile nec solidum est, et nos tamen
cupimus tamquam aut semper futura aut semper habituri. Inbecilli fluvidique inter vana constitimus: ad
illa mittamus animum que eterna sunt. Miremur in sublimi volitantes rerum omnium formas
deumque inter illa versantem et hoc providentem quemadmodum que immortalia facere non
potuit quia materia prohibebat, defendat a morte ac ratione vitium corporis
vincat. Manent enim cuncta non quia eterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis. Inmor-
talia tutore non egent. Hec conservat artifex fragilitatem materie vi sua vincens. Con-
tempnamus omnia que adeo preciosa non sunt ut an sint dubium sit. Potest enim aliquatenus nostra
prudencia longiorem prorogari huic corpusculo mora, si voluptates quibus maior pars perit
potuerimus regere et coercere. Stultus est qui non exigua temporis mercede magne rei aleam redimit.
Paucos longissima senectus ad mortem sine iniuria pertulit. Inbecillus est et ignavus qui propter
dolorem moritur; stultus qui doloris causa vivit. Si invenimus qui nos bonos viros
dicat, qui prudentes, qui sanctos, non sumus modica laudatione contenti. Quicquid in nos De adulatione
adulatio sine pudore congessit tamquam debitum prendimus. Optimos nos esse sapientissimos
adfirmantibus assentimur, cum sciamus illos sepe multa mentiri. Adeo quoque nobis indulgemus
ut laudari velimus in id cui contraria cum maxime facimus. Mitissimum ille se in ipsis
suppliciis audit, in rapinis liberalissimum, et in ebrietatibus ac libidinibus temperan-
tissimum. Sequitur itaque ut ideo mutari nolimus quia nos optimos esse credimus. Al-
lexander cum letaliter vulneratus esset dixit: Omnes iurant esse me Iovis filium, sed vul-
nus hoc hominem me esse clamat. Dicamus: Vos quidem dicitis me esse prudentem; ego
autem video quam multa inutilia concupiscam, nocitura optem. Nec hoc quidem intelligo quod ani-
malibus satietas monstrat, quis cibo debeat esse, quis potioni modus. Quantum capiam
adhuc nescio. Iam docebo quemadmodum intelligas te non esse sapientem. Sapiens ille De sapiente
plenus est gaudio, hilaris et placidus et inconcussus. Nunc ipse te consule: si numquam mestus es,
nulla spes animum tuum futuri expectatione sollicitat, si per dies noctesque par et equalis
animi tenor erecti et placentis sibi est, pervenisti ad humani boni summam. Sed si ad-
petis voluptates et undique et omnes, scito tibi tantum ex sapiencia quantum ex gaudio deesse.
Ad hoc cupis pervenire, sed erras, qui inter divicias illuc venturum te esse speras, inter
honores. Id est gaudium inter sollicitudines queris. Ista que sic petis tamquam datura leticiam
ac voluptatem, cause dolorum sunt. Omnes inquam illi tendunt ad gaudium, sed unde stabile